

magistri praenarrati Sybotonis. Quidquid vero de praelibata annona residuum fuerit, praehabitus magister infirmorum sacerdotibus supradictas missas celebrantibus dividendo dispensabit. Praeterea dictum magistrum Sybotonem digne deo commendandum orationum ieiuniorum elemosynarum missarum omniumque bonorum, quae in nostra ecclesia apud nos et nostros successores Cristo poterunt obnixius exhiberi, participabilem perhenniter approbamus, confraternitatis nostrae sibi immutabile consortium condonantes. Ut autem huiusmodi donatio et ordinatio rite et rationabiliter a nobis praeposito nostroque capitulo et praedicto magistro Sybotone instituta interminabiliter inconvulsa permaneat et illaesa, sigilli nostri et capituli nostri munimine eam unanimiter decrevimus roborari. Testes vero huius facti sunt dominus VI. de Dybin custos maioris ecclesiae, dominus Renhardus canonicus eiusdem ecclesiae, Herbordus de Kotzinrodi officialis venerabilis episcopi Withigonis, Albertus executor conciliorum et alii quam plures fide digni. Datum et actum in Misna anno domini M°.CCC°.XIII°. in die Valentini martyris.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit den Siegeln des Probsts, des Convents und Syboto's an leinenen Fäden.

No. 195. 1317. 13. Aug.

*B. Withego II. cignet dem Afrastifte Geld- und Getreidezinsen in Höfchen, die der Pfarrer Heinrich zu Lösnitz demselben geschenkt hat.*

In nomine domini amen. Wythego dei gratia Misnensis ecclesiae episcopus universis Cristi fidelibus ad quos praesentes litterae pervenerint salutem in omnium salvatore. Cum a nobis quod iustum est petitur, tam vigor aequitatis quam ordo rationis expostulat, ut id per sollicitudinem nostri officii ad effectum debitum deducatur. Ea propter universis praesentibus et futuris cupimus esse notum, quod discretus vir dominus Heynricus, plebanus in Lesnitz, septem mansos, qui solvunt quattuor talenta minus tertio dimidio sol., et unum feudalem mansum et tres modios tritici cum omnibus suis iuribus et pertinentiis ac consuetis serviciis in villa Hovechyn<sup>a)</sup> prope Cellam sita apud Johannem et Heynricum fratres de Malencz pro triginta sexagenis grossorum Pragensium iusto emptionis et venditionis interveniente titulo ecclesiae sanctae Afrae in Mysna ob reverentiam dei omnipotentis et gloriosae matris suae in remissionem suorum peccaminum comparavit. Et cum idem dominus Heynricus a nobis humiliter postulaverit, ut censum et bona huiusmodi dictae ecclesiae sanctae Afrae in Mysna appropriare curaremus, verum quia Jutta conthoralis dicti Johannis de Malencz ipsa bona ac praelibatum censum nomine dotalicii a nobis tenuit, ipsa Jutta eadem bona cum censu una cum Johanne et Heynrico dictis de Malencz bono animo et voluntate concordati ad manus nostras sponte et libere resignavit, facta tamen sibi recompensa dotalicii tali in villa Ranswitz circa villam Malentz<sup>b)</sup> sita in sex talentis cum praedicta pecunia comparatis, nos vero praedicti domini Heynrici

a) Vgl. No. 193. not. a. b) Maljis (Mahlitzsch), Par. Krögis. Ranswitz wahrscheinlich jetzt Wüstung, oder Roitzschwiese(?) ders. Parochie.